



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXI. De S. Ludouico Galliarum rege.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

didit. Bernardo autem primatum detrectante, Patricium ex Patricia Senarum familia, primum congregationi Abbatem præfecerunt. Sed postea hoc & duobus ex ordine alijs defunctis, rursus Bernardo vel reluctanti dignitatem Abbatis Oliuerani detulerunt, illo nihil interim de pristina vitæ austeritate remittente. quod munus dum 27. annos fideliter administrasset, Religionem multum propagata & Apostolica autoritate confirmata, Senis dum suis monachis pestilentia, quæ tunc ibidem grassabatur, infectis, proprijs manibus sollicitus Pater inseruiret & ipse peste percussus, spiritum Deo reddidit, quem pro nobis deprecando ab eadem nos dignetur suis meritis præseruare. Vide Abrah. Bzou. anno 1348. & alios quos ipse ibidem citat. Dies felicitis eius obitus annotatur i. i. Kalend. Septemb.

C A P V T L X I .

De S. Ludouico Galliarum rege.

Baron. in
notis ad
Martyr.
25. Auguſt.

SANCTUS Ludouicus eius nominis nonus & regum omnium quadragesimus tertius Christianissimus Francorum rex, regali sua corona etiam hunc sacrum chorum exornabit. hic de Galliarum regno si quis aliam optime meritis, magis satagebat se legitimum Dei famulum quam potentem regem exhibere. Non hic atrox vitam eius illibatissimam & ne vlllo quidem noxæ lethalis næuo vnumquam inquinatam. sed illa apud omnes in confesso est. Morbum frequenti excepit hospitio & maiore semper beneuolentia quia dicebat numquam hunc hospitem aduenisse quin insignem fortitudinis & iucunditatis nummum persoluisset. Annum agens in regno 20. in eundem grauissime incidit, quo tempore (exemplo gloriosissimi nostri Godofridi

fridi Ducis Bullonij & Marchionis Antuerpiæ, in qua vrbe primitias sacræ suæ militiæ auspicatus, duodecim primarios viros adscripsit in honorem XII. Apostolorum, cum quibus & infinito omnium pæne principum exercitu Ierosolymam expugnauit die & hora ferme eadem qua ibi Christus mortuus est) de recuperanda possessione Ierosolymorum à Turcis denuo receptorum sedulò cogitare cœpit. quam ob rem vbi iam à morbo conualuerat, sacro ritu vexillum ab Episcopo Parisiensi Deo sacratæ militiæ insigne accepit, & traiecto cum ingenti exercitu mari, Saracenos primo prælio victor fugauit. Sed cùm ex grassante pestilentia magna militum multitudo interiisset, hostesuo inferior ab eodem victus captusque est: at postea rebus cum Saracenis compositis liber cum suo exercitu dimittitur. Mater eius Blanca nomine, femina pijsissima, interim è vita discedit, quare domum pro administrando regno redire coactus totum se pietatis & Christianæ caritatis officijs impendit. Neminem iam latet sub conchyliata eius veste persapè asperrimam cilicinam latitasse. Singulis diebus Veneris opiparæ mentæ & lautissimis cibis seuerissimum miscuisse ieiunium: Sabbatinis pauperum pedes regijs illis manibus, idque clanculum, attrectasse, lauisse, exosculatum fuisse eosque luculenta donasse eleëmofyna, viginti supra centum inopes quotidie in eius aula assatim reficiebantur: solennioribus diebus ducenti; quibus eum ipse cibos apposuisset, vicissim curabat sibi apponi, iactabatque se inde orexim & appetentiam excitari. Pijsissimus ergo princeps ardentissimo terrarum vbique Catholicæ fidei signa figendi desiderio incensus, nihilque fractus superiorum temporum laboribus expensis, non territus perfida quàm diu miserè sustinuerat captiuitate, exercitum denuo in Africam transportauit, bellum contra priores hostes

instauraturus. & ecce lues quæ tunc temporis crudeliter
 sæuebat, exercitum eius inuadit, ex regis. filijs tollit Ioan-
 nem, tollit è nobilitate plurimos, ipsum quoque sanctissi-
 mum regem, nihil sceptrum aut purpuram præ pauperum
 tabernis verita, adgreditur. enigitur lethali decumbit le-
 cto. Quid egisses ipse tali in re ac tempore? diris & mille
 maledictis susceptum iter deuouisses & forsitan blasphe-
 mum os in diuinam prouidentiam contorsisses. at hic prin-
 ceptis utpote principum medulla, oculo madido, cordato
 affectu Deum suum compellabat & omni querimonia ex-
 ulante in clamabat: Fac nos Domine prospera mundi de-
 spicere & nulla eius aduersa formidare, solum & vnicum
 peccatum perhorrescere. Quid retribuam Domino pro
 omnibus quæ retribuit mihi? Misericordias Domini in æ-
 ternum cantabo. Amantissime Redemptor tibi animam
 meam, prolem, regnum, subditos commendatos velim.
 Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos. deinde Sa-
 cram Eucharistiam sibi deferri postulat, cumque eleemo-
 synarum Præfectus hanc ei de more præberet videndam,
 interrogans num crederet ibi esse Filium Dei; respondit
 minus id apud se habere dubij quàm si in ea specie qua
 cælum conscendit, Deum videret. Postea ad filium suum
 Philippum conuersus, Hoc, inquit, compendiarium testa-
 mentum cape: Romano Pontifici venerationem exhibe
 quàm potes maximam, iustitiæ libram iustissimam obser-
 uato, esto pauperum parens, orbis patronus. ecce fili
 mi quem tibi postliminiò thesaurum relinquo. huius ex-
 asse hæres esto. denique in cælum suspiciens hæc verba
 postremò locutus est: *Intrabo in domum tuam Domine, ad-
 orabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*
 Vix hæc finierat, cum ecce mors pestilens sermonis abrup-
 pit filium & vitam abripuit. Corpus deportatum Parisios,
 indeque ad S. Dionysij vbi visitur modò, munificæ co-
 lumnæ

Phil. 5.

Vide, Ste-
 phan.
 Binet in
 schola
 a gror. c. 4.

lumnæ impositum, argenteæque capsæ intermicantibus
 vndequaque gemmis inclusum. Quis non dixerit si oculis
 tantum carnis ista inspiciat, Ludouicum miserrimo sine
 diem clausisse & à Deo quodammodo visum derelictum
 esse in tam pio potissimum suscepto proposito? at angusti
 animi fuerit id cogitasse, cum diuini oraculi testificatione
 certum sit, utcumque acciderit, pretiosam esse in conspe-
 ctu Domini Sanctorum mortem, ac visos quidem illos o-
 culis insipientium mori, verum eisdem esse in pace, atque
 vnà cum Christo in cœlis regnare; quod ne putaret aliquis
 inanem esse imaginationem in Ludouico, innumera quæ
 post secuta sunt miracula perspicue declararunt, quorum
 plurima describit Guik. Pepin conc. 2. de S. Ludouico. Mi-
 raculorum quidem loco mihi habendum videtur, inquit
 Henricus Sedulius, quod Tho. Bozius scribit de nummis
 B. Helenæ imperatricis & S. Ludouici regis efficacibus ad-
 uersus morbos. Monetæ adhuc aliquot extant quæ in
 honorem Helenæ Augustæ & inuentæ Crucis cum hu-
 iusmodi imaginibus excusæ antiquitus fuere. illis est præ-
 sens remedium contra morbum comitalem, & qui hodie
 viuit Turcarum rex Amurathes, quamuis à nobis alienus,
 vim illarum expertus, solet eas gestare; morbo namque
 huiusmodi interdum laborat. nummi quoque S. Ludouici
 Francorum regis mirifice valent aduersus nonnullos mor-
 bos. ita ille. A Bonifacio Pontifice eius nominis VIII. inter
 Sanctos relatus est anno Domini 1297. obiit verò anno
 1270. 25. Augusti.

In notis
 ad vitam
 Sancti,
 cap. 2 f.

C A P.